

restringens impedimentum inducitur propter  
affinitatem ex fornicatione contractam, cen-  
set etiam ad eodem gradus restringisse impe-  
dimentum exigendi debitum ab uxore, quod  
inducitur ex affinitate pronente ex illicita  
copula a viro cum consanguinea sua uxoris post  
matrimonium habita. Et ideo in hanc senten-  
tiam dicit Nau. n. præcedenti allegatus se-  
magis propendere, & Additio quædam ad  
eius consilium relat. n. præcedenti, in po-  
steriori editione, ait sacram Penitentia-  
riam in eam etiam magis inclinasse, & illam  
tenent Veracruz appendice ad speculum,  
circa impedimentum affinitatis, fol. 77. &  
sequenti. Ouandus. 4. d. 4. r. q. vnic. propo-  
sitione. 6. Palacios. 4. d. 34. disp. 2. fol. 76  
Gutierrez quæst. canon. tomo. 1. c. 23. si-  
ne. Enriquez lib. 1. de matrimon. cap. 15.  
n. 11. & lib. 12. cap. 10. num. 1. Vivaldus di-  
cens multos doctores consultos Salman-  
ticæ, & Compluti idem tenuisse, Cadel-  
brú sacramen. 1. part. de matrimon. num.  
209. Manuel. 1. tomo summa. 2. editione  
cap. 243. num. 12. & super bullam crucia-  
tam. 5. 13. n. 8. Emmanuel Sa summa, verb.  
debitum coniugale, vers. qui cõiugis cog-  
natum. Petrus de Ledesma de matrim. q.  
55. ar. 3. dubio. 4. Vega. 1. tomo summa. c.  
78. casu. 4.

Hinc infertur minus bene aliquos iur-  
isperitos teste Ludouico Lopez. 2. p. in-  
stru. de matr. c. 50. vbi de impedimento af-  
finitatis, præterea aduertendum est, cen-  
suisse contrahentem matrimonium cum

femina, cuius consanguineam in tertio  
gradu cognouerat, non posse ea petere  
debitum. Quia affinitas quæ iure commu-  
ni ex ea copula illicita oriebatur, non est  
ablata per Tridentinum, quoad potestatem  
debiti exigendi. Sed bene reprobat  
ibi Ludouicus Lopez, quia accessoria ma-  
trimonio est copula, quare sequi debet  
naturam principalis, regula accessorium.  
42. de regulis iuris, in 6. si ergo matrimo-  
nium illud est omnino licitum, ac prorsus  
vacat impedimento, & copula omnino e-  
rit licita. Constat etiam ex adductis, num.  
præcedenti.

Ad argumenta n. 13. proposita respon-  
detur. Ad primum dicitur non solum affinitatem  
esse causam illius prohibitionis, sed  
iniquè contractam per incestum: vt proba-  
ui. n. 14. atq; ita vt maneat prohibitio, non  
satis est incestus cessante affinitate, quam  
porissimam esse causam ibi dixi. Nec ob-  
stat vltima obiectio in eo primo argumen-  
to proposita. Quia in illo casu speciali id  
prohibuit ius in penam contracti mat-  
rimonij, spreto eo impedimento impedi-  
ti illud. Ad secundum constat ex dictis,  
n. 14. vbi probauimus prorsus esse subla-  
tam affinitatem in illis gradibus. Ad con-  
firm. dicitur non satis consuli manente impe-  
dimento quoad petendum debitum. Quia  
inde etiam multa peccata oriuntur.

Atque ideo concilium om-  
nino sustulit.

(3.)

## DISPUT. VIGESIMOCTAUA.

An si vterque coniug, affinis effectus sit, per copulam cum alterius  
consanguineis mutuam, arceantur ambo à debiti petitione, ac  
redditione? Atque similiter si vterque cognationem spirituales  
contraxerit, aut alterius causa, aut consensu ea affinitas, aut cogna-  
tio ab altero contracta sit?

### SUMMARIVM.

Resertur sententia docens tunc licere vtri-  
que petere. n. 1.

Neutri licet petere: etiam si vterq; malitiosè  
fecerit, vt alterum defraudet: & quamuis  
alter solus proprio factò eam cognationem  
aut affinitatem contraxerit, altero tamen  
consentienti. n. 2.

Resertur sententia docens neutrum teneri, nec

posse reddere, numero. 3.

Proponuntur argumenta ad probandum teneri  
vtrumq; reddere. n. 4.

Sententia auctoris proponitur. n. 5. & 6.

Soluuntur argumenta. n. 7.

Quo clarùs procedamus in hac quæ-  
stione, quæ non facilis est: priùs dis-  
putabimus de facultate petendi debitum.

Dein-

Deinde verò de potestate, & obligatione  
reddendi. Et quidem si de petitione debi-  
ti loquamur, Quidam censent in hoc eue-  
ntu vtriq; licere debitum exigere, facta hinc  
inde compensatione: sicut quando vter-  
que coniug est adulter: iura cap. penulti-  
mum, & finale, de adult. Ita Vincentius,  
& Goffredus cap. si vir, de cognat. spirit.  
Ioannes de Friburgo summa confessorij,  
lib. 4. tit. 7. quæst. 2. & forsitan hoc esse ve-  
rum docet Bassolis. 4. d. 42. q. vnica, art. 3.  
sine. Et quamuis Doctores hi loquantur,  
quando vterq; coniug impedimento cog-  
nationis spiritualis laborat: at idem dicen-  
tes de impedimento affinitatis. Cum ead-  
dem prorsus militet ratio.

Ceterùm iure optimo hanc compen-  
sationem improbant Abb. c. si vir, nu. 5. de  
cognat. spirit. & ibi Alexan. de Neuo. n. 7.  
Supplementum Gabrielis. 4. d. 42. quæst.  
1. art. 2. concl. 4. Veracruz. 1. par. Speculi,  
artic. 57. concl. 5. Quia vbi de utilitate de-  
linquentium agitur, in eorumq; fauorem  
ius exigendi debitum aufertur, paria deli-  
cta mutua compensatione abolerent, vt  
in adulterio contingit: secus vbi non de  
eorum fauore agitur, sed in delicti penam  
privatio illius iuris indicitur: vt contingit  
in presenti. Quare dicendum est vtrique  
coniug cognationis, affinitatisve impedi-  
mento innodato, interdici debiti petiti-  
onem. Quia coniug ob id impedimentum iu-  
re priuatur debiti exigendi potestate. Er-  
go si vterq; coniug idem impedimentum  
habeat, vterq; priuabitur. Cum enim deli-  
torum compensatio locum in hac re mi-  
nimè habeat, delictum alterius cõiugis al-  
terum non releuabit. Et confirmatur ex  
cap. nosse. 30. q. 1. quod est Nicolai primi,  
ibi. Nosse de sideras vtrum quæ mulier viri si-  
lium ex alia femina genuit om, de sacro fonte le-  
uauerit: postmodum possit cum eadem viro co-  
pulari: si non ex consensu vtriusq; coniugis sa-  
ctum esse probatur, non fraudentur iniucem,  
sed reuertantur in id ipsum. Ergo à contra-  
rio sensu fecus est dicendum, vbi culpa fuit  
communis. Atq; ita censent Glossa eo. c.  
nosse, verb. non fraudentur. Hostiensis. d.  
c. si vir, sine, vbi Ioan. And. fin. & videtur  
hoc sequi Anton. ibi, fin. Et tenet ibi refe-  
rens Alexandrum Angelicum, Henricus  
nu. 3. Abbas, Alex. de Neuo, Supplemen-  
tum Gabrielis, Veracruz proximè citati.  
Di. Anton. 3. p. tit. 1. c. 15. §. 3. Rosell. verb.  
impedimentum, impedimento. 6. n. 6. Syl-  
matrimonium. 8. quæst. 7. di. 2. Petrus de

Soto le. 11. de matrimo. §. secundum de  
hac cognatione. Nauar. sum. c. 16. n. 34. Le-  
desma. n. p. 4. q. 8. ar. 8. dub. 2. Viguerius libi  
instit. c. 16. §. 7. vers. 9. Gaeta repetitione  
cap. ad limina. 30. q. 1. §. 4. n. 379. Matien-  
ço lib. 5. recopil. tit. 1. rubrica, gloss. 1. nu.  
143. Ludouicus Lopez. 2. part. instrum. r.  
rij. cap. 85. §. præterea si coniug. Manuel. r.  
tomo summa. 2. editione cap. 243. num.  
10. Grassis. 1. par. decisionum, lib. 2. cap.  
83. fin. Petrus de Ledesma de matrimo.  
quæst. 56. art. 1. dubio. 5. Bartholomæus à  
Ledesma dubio. 44. de matrimo. §. de v-  
su verò, & loquuntur Hostien. Ioan. And.  
Anton. Henricus, Rosella, Syluest. Nauar.  
Ludouicus Lopez, Gaeta, Matiçco, Graf-  
fis, Petrus de Ledesma, quando per frau-  
dem, & malitiosè vt se defraudent, id cõ-  
iuges efficiunt. Nam etiã in hoc casu neu-  
trius exigendi debitum conceditur. At-  
que ita siue fraudulenter, & malitiosè, siue  
absque dicta malitia, vterque coniug eam  
cognationem, aut affinitatem culpa sua  
contraxerit, arceatur à debiti petitione. Id  
enim probant rationes adductæ. Idemque  
dicendum est, si alter solus cognatio-  
nis, aut affinitatis impedimentum incur-  
rit, aut interuenienti culpa alterius, qui cõ-  
sensum præstitit. Nam in hoc casu non  
hic debiti exactione priuari, probauimus  
disput. præcedenti, nu. 3. atq; ita ille ratio-  
ne impedimenti suo factò contracti, hic  
autem ratione culpæ consensus, carebit iu-  
re petendi. Et sic docent Petrus de Soto,  
Viguerius, Ledesma, Bartholomæus à Le-  
desma, Manuel ibi, & quamuis hi Doctores  
de spirituali cognatione agant, at idem  
dicent de impedimento affinitatis, in  
quo eadem est ratio. Atq; de illo loquen-  
tes dicunt idem Guillelmus Rubion. 4. d.  
32. q. 2. art. 2. concl. 1. & d. 3. q. 2. concl. 3.  
Petrus de Ledesma de matrimo. q. 55. art. 6. §.  
circa tertium statum, fol. 443.

Circa redditionem verò debiti, maior  
est difficultas, an in hoc euentu coniugij  
petenti teneatur, aut saltem possit alter  
reddere? Quidam absolute docent neutrum  
coniug teneri alteri reddere: Ita loquens  
de cognatione spirituali, docet Alensis. 2.  
p. q. 170. membro. 3. §. 3. post solutionem  
ad 2. Alexander Angelicus relatus ab Hé-  
rico cap. si vir, numer. 3. de cognat. spirit.  
& Palacios. 4. distinctio. 7. disputat. 3. &  
clare videtur tenere Armilla, verb. mat-  
rimonium, num. 9. ait enim coniugem qui  
hac cognatione impeditur, teneri alteri

Hhhh

exi-

exigenti reddere, quando culpæ particeps non fuit, & loquens de coniuge incestuoso, & ita affinitatem contrahenti, videtur clarè sentire. D. Bona. 4. d. 3. ar. 3. q. 2. dicit enim teneri reddere alteri petenti. Quia eius culpa alteri nisi cōscio sceleris, officere nequit. Imò nec posse sibi reddere vtrūq; coniugem incestuosum, docet Guillemus Rubion. n. præcedenti, in fine allegatus. Idq; probatur, quia ex altera parte ille accessus incestuosus est, cum sit cō cognato, vel affini coniuge, nec excusat obligatio reddendi, ea enim non est, ut statim probabimus: ergo est illicita redditiō. Et confirmatur, quia textus ideò hanc redditiōnem à culpa excusant, ne coniux culpæ immunis iure suo priuetur, vt expressè habetur cap. discretione, & cap. penultimo, de eo qui cognou. confan. quare vbi neuter coniux est innocens, non est vnde excusetur. Secundo, quia ideò vbi alter solus est reus, potest licet non teneatur innocens reddere. Quia ratione sua innocentie plenam habet possessionem vsus matrimonij, vnde nec petitione, nec redditiōne priuandus est (vt diximus hoc 10. libro, disput. 6. num. 12. contra multos quos sibi, nu. 11. fortissimis rationibus innitentes, retuli, qui etiam innocenti coniugi negant licere reddere incestuoso petenti) ergo in hoc euentu vbi innocentia neutri fauet, nec possessionem tribuit, minime licebit reddere. Tertio, quia quando vterq; coniux de valore matrimonij dubius est, neuter potest reddere alteri petenti: eò quòd manenti dubio neuter ius petendi habet (vt diximus lib. 2. disputar. 41. num. 57.) At in hoc euentu vterq; coniux ius petendi amisit (vt num. præcedenti diximus.) Neuter ergo poterit reddere. Quarto probatur neutram teneri ad reddendum. Quia vbi alter solus reus est, innocens non tenetur reddere: eò quòd ille iure exigendi priuatus sit (vt probauit hoc 10. lib. disp. 6. n. 8.) Idem ergo dicendum erit de vterq; coniuge culpæ particeps. Non enim datur delictorum compensatio, vt altero coniuge similiter delinqueret, alter pristinum exigendi ius acquirat (vt num. 2. probauimus.) Et confirmatur, quia nulla alia ratione reus innocenti tenetur reddere, nisi ne innocens absq; culpa iure suo cadat, vt constat ex cap. discretionem, de eo qui cognou. confan. vbi ergo vterq; est innocens, neuter reddere tenebitur.

Ex alia autem parte videtur vtrumque teneri ad debitum reddendum. Quia si neuter ius habeat iustitie ad debitum petendum, & vt sibi reddatur, copula inter hos coniuges esset perinde fornicaria ac si inter solutos matrimonio haberetur. Quod absurdissimum esse dictū, latet neminem. Secundo probatur saltem licere. Quoniam non minus est priuatus ex parte sua, iure petendi, coniux culpæ reus, quando ipse solus deliquit, quàm vbi alter simili culpa inuoluitur (vt numero. 2. probauimus) sed in priori casu potest alter innocens, licet nō teneatur, reddere vt diximus hoc lib. disp. 6. n. 12. ergo & in posteriori, idē licebit coniugere. Prima tamen conclusio sit. Si non ex malitia, atq; animo defraudandi coniugē, vterque in id impedimentum cognationis, aut affinitatis, culpa tamen vtriusque, incidit, neuter tenetur, nec licet potest alteri reddere. Atque in hoc euentu est verissima sententia proposita, numer. 3. cuiusque rationibus probatur. Atq; ita loquens de impedimento affinitatis, docet Petrus de Ledesma de matrim. quest. 57. art. 6. dubio vltimo. concl. vnica. Et idem censeo dicendum, quando vterq; coniux in culpa est, at alter solus ea malitia infectus est. Neuter enim poterit alteri reddere, non quia malitia, & fraus huic suffragetur: sed quia culpa propria illi obest primas eum iure petendi.

Secunda conclusio. Si vterq; cōiux malitiose fecit, animo alterum debito coniugali defraudandi, quauis vterq; à iure petendi cedat, & petendo delinquat (vt diximus n. 2.) at alteri petenti tenetur reddere. Ratio est. Quia cū hæc pœna solo iure positivo infligatur, potest illo met iure sitè disponente moderari, ac restringi. Ius autem sic moderatur: vt constat ex. c. si vir, de cognati spirituali, vbi hunc casum a qui parat calum, quo per ignorantiam id effectum est, in quo constat eos coniuges teneri sibi reddere. Præterea, quia subiungitur sibi ratio, quia malitia, & fraus non debet eis patrocinari: at valde patrocinarentur, si ex ea coniuges immunitatem, ac reddendi debiti sibi inuicem libertatē acquirerent, & quamquam textus, & Doctores citandi loquantur de impedimento cognationis, merito extendi debent ad impedimentū affinitatis, in quo eadē est ratio. Et ita extendit Petrus à Ledesma de matrim. quest. 57. art. 6. dubio vltimo, conclus. vñ

ca, sine: quamuis diminutè loquutus fuerit, dicit enim tunc licere reddere: & de obligatione non meminit: quam tamen expressit in impedimento cognationis, vt itam referam. Ideò hanc sententiam loquentes de impedimento cognationis, sustinent Hostien. Ioann. Andr. Anton. Henricus. D. Anton. Rosella, Sylu. Naua. Gaeta, Veracruz, Marienco, Ludouicus Lopez. n. 2. relati. Aftenis summa. 2. part. lib. 8. tit. 1. 8. ar. vnic. q. 2. Petrus de Ledes. de matrim. q. 56. art. 1. dubio vltimo, concl. vnica, fin. Manuel. 1. tomo summa. 2. edition. c. 143. n. 14.

Ad argumenta. n. 3. proposita, dic ea omnia probare nostram priorem conclusionem. vt n. 5. aduertimus. Quatenus verò militat aduersus. 2. conclusionē. Ad primum dic esse obligationem reddendi, in casu malitie, vt probauimus præcedenti. Ad confirmat. dic eam esse rationem, vbi malitia & fraus absunt, at dum ea non desiderantur ratio est, ne suffragentur dolo, ac malitioso. Ad secundum, & tertium dic, ea concludere, nisi ius posituum id impedimentum indicens, priuansque v-

trumque iure petendi, disposuisset in eo casu teneri vtrumq; reddere, ne fraus, & malitia profint. Ad quartum neganda est consequentia. Quia licet concurrenti malitia vtriusq;, alter non acquirat ius petendi, ac proinde culpam admittat petendo, ius tamen statuit debitum sibi reddendum esse: ob rationem traditam. Ad confirmat. constat ex dictis in solutione cōfirmationis primi argumenti. Ad primum argumentum num. 4. propositum, neganda est sequela. Quoniam licet cōiuges priuati sint eo iure, illudque impedimentum sit, at manet in radice matrimonij, quod legitimum est inter illos, ratione cuius non est accessus ad alienam. Atque ita sublati impedimento per dispensationem, ius illud pristinum redit. Ad secundū neganda est consequentia, Nam in priori casu coniux innocens est in plena matrimonij possessione, quare nec petendi, nec reddendi iure priuandus est. In posteriori autē, ratione similis culpæ qua inuoluitur, amittit ius petendi, & consequenter vt sibi petenti reddatur: nec adeest aliquid ius excusans suā petitionē, aut redditiōnem à culpa incestuos.

## DISPUTATIO. VIGESIMANONA.

An si affinitas, aut cognatio spiritualis contrahatur ab altero coniuge, ante matrimonij consummationem, possit licitè illud consummare reddendo: vel quò eximatur à reddendi onere, teneatur ingredi religionem?

## SVMMARIVM.

**R**efertur opinio asserens peccare consummando: & teneri ingredi. n. 1.  
 Contraria sententia aut horis, nu. 2.  
 An coniux cui interdicta est debiti petitio ob cognationem, vel affinitatem, possit prioriter bimestri ante consummatum matrimonium, vel si alter sit adulter, reddere? Remissive, num. 3.  
 Soluuntur argumenta, num. 4.

**Q**uidam censent coniugem qui matrimonio inito, ante illius cōsummationem, affinitatem cum suo coniuge contraxit, peccare mortaliter dum prima vice reddat: atq; ita nisi dispensationem illius impedimenti impetret, teneri religionē ingredi, vt euitet

debiti redditiōne. Ducitur, quia accessus ad coniugem est incestus, cum sit ad affinitatē, atq; ita si fieri potest, est necessario vitandus, cū ergo possit vitari hoc coniuge religionem proficiente, nisi dispensationē impetret, tenebitur ad id. Et cōfirmatur, quia prioriter bimestri peccat hic reddens, eò quòd reddere non tenetur (vt probauit hoc lib. disp. 6. nu. 14.) sed donec consummet matrimonium, nūquam tenetur reddere, cū semper possit religionē ingredi. Ergo semper peccabit prima vice reddendo. Secundo, quia probabilissima, & cōmunis sententia docet eū, qui voto castitatis ligatus vxorē duxit, teneri religionē ingredi, peccareq; prima vice consummato eò (vt videmus hoc lib. disp. 3. n. 2.) eò quòd licet, & non aliter potest votum implere:

at coniux hic sic affinis effectus, nec impetrans dispensationem, non potest aliter incestum vitare, nisi ingrediendo religionem, ergo tenebitur ad id. Et confirmatur, quia vrgentior hic militat ratio. Nam cum voti obligatio ex propria voluntate vouentis oriatur, non potest eius tacitam intentionem excedere, quæ cum non sit se obligandi ad religionem, potest hoc prætextu excusari. At obligatio non accedendi ad affinem, vbi matrimonij necessitas minime compellit, vt accidit ante consummationem, oritur ex natura ipsius facti, atq; ita transcendit limites voluntatis, à fortiori ergo cogit possibile religionis medium eligere, quò accessus talis cauetur. Ita docent loquentes de affinitate, & consequenter idem dicent de cognatione, in qua eadem militat ratio. Palud. 4. d. 27. quæst. 1. artic. 3. num. 26. Maioris. 4. d. 41. quæst. 1. paulò post principium, versic. deinde dico de secundo quæsto. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 11. ante. §. 1. versicul. nota etiam. Sylu. matrimonium. 8. quæst. 15. dicto. 7. Gaeta repetitione cap. ad limit. 3. o. quæst. 1. §. 4. numer. 408. Vivaldus candelabro sacramen. 1. par. de matrimon. num. 207. & fortè aliquis existimabit huius esse sententiæ Couarrub. 4. decret. 2. par. cap. 7. §. 2. numer. 6. & Ludovic. Lopez. 1. p. instr. cap. 296. §. præterea circa redditionem, dicunt enim iuuenem incestuosum ante matrimonij consummationem, teneri, nisi velit religionem ingredi, dispensationem impetrare ad exigendum debitum, sed reuera non sunt. Quia non ducuntur, eò quòd peccet reddendo: sed rationem reddunt, ne cohabitans cum vxore, periculo expositus sit admittendi multa mortalia exigendo debitum. Et hæc sententiam non esse improbabilem ait Petrus de Ledesma, numero sequenti allegandus.

At dicendum est nullo modo teneri religionem ingredi, atque ita posse matrimonium consummare reddendo. Probatur primò omnibus argumentis, quibus probabimus infra disp. 24. num. 3. & 4. votum præcedens, aut subsequens matrimoniarum, si solius castitatis votum sit, non inducere obligationem ingrediendi religionem, vt impleatur. Secundo, quia per talem affinitatem non priuatur coniux innocens suo iure, vt habetur cap. discretio-

nem, & c. penultimo, de eo qui cognouit cõsang. ergo teneri hic illi reddere. Nec textus distinguunt, sit matrimonium consummatum, nec ne: nec obligant hunc reũ ad religionis ingressum: sed expresse docent textus citati hos coniuges ad continentiam inducendos esse, quòd si nolint, reũ abstenturum à petitione, non autè à redditione. Huius sententiæ videtur. D. Bonauen. 4. d. 41. quæst. 3. numer. 22. ait enim hunc teneri reddere, aut si hoc nolit, ingredi religionem: vnde omninò voluntarium censet esse religionis ingressum. Et tenent expresse Angelus, verb. matrimonium. 3. impedimento. 15. numer. 2. Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. ar. 6. circa. 3. statum affinitatis, dubio. 4. & communiter Neoterici.

Vtrum autem coniux cui est interdicta debiti petitiõ ratione cognationis, aut affinitatis, possit priori bimestri ab initio matrimonio ante illius consummationem reddere debitum: aut si alter coniux ad alterum admittat, dixi hoc lib. 10. disp. 6. numer. 14.

Ad argumenta, num. 1. proposita respondetur. Ad primum dic accessum talẽ quãdo spontaneus est, incestuosum esse, secus quãdo est iustitiæ lege debitus, qualis est accessus reddendo. Ad confir. dico latum esse discrimen, quia priori bimestri nunquam tenentur coniuges sibi reddere, nisi iam matrimonium consummarint (vt dixi lib. 2. disp. 24. numer. 25.) at eo transacto, statim ad id tenentur, nisi illico ad religionem transire velint. Quare supposito hũc animum non esse illi coniugi incestuoso, satisfaciunt obligationi reddendo, & ac proinde culpæ immunis est. Non enim religionis ingressum eligere tenetur. Ad secundũ, contrariam sententiã exilimo probabiliorem: & esto illa vera esset, est discrimen, quòd castitas, & religio sunt quodam modo eiusdem rationis, atq; ita non mirum, si gratia castitatis promissæ quæ aliter seruari nequit, astringatur vouens ad religionem. At religio non est aliquid eiusdem rationis cum hoc quòd affinitas omnem suum assequatur effectum. Ad confir. dic, ex ea parte vrgentior militare rationem: at ex alia multò minore. Quia inter castitatem, & religionem est magna proportio, & vicinitas: qualis non est in præsentis casu.

## DISPUTATIO TRIGESIMA.

Vtrum quòd coniux incestuosam affinitate n. aut cognationem contrahens, debiti petendi facultate priuetur, desideretur aliqua iudicis sententiã, aut condemnans, aut saltem crimen declarans?

## SUMMARIUM.

Proponeitur sententiã affirmans hæc pœnam non incurrere, vt abscq; iudicis sententiã. n. 1. Vera sententiã, num. 2. & ibi traditur ratio, cur cum pœna sit, non desideretur iudicis sententiã ad eam incurrendam: & ad aliquas priuatiuas.

Soluantur argumenta, num. 3.

Ratio in hæc dubitãdi est: quòd priuatio hæc petendi debiti, vt re sit pœna culpæ affinitatis, aut cognationis iniquè contrahentis. Quòd manifestè constat ex eo quòd vbi in contractione deest culpa, vt si ignoretur consanguinitas, aut vt præcisã habeatur copula, ea priuatio non incurritur, vt dicemus duplici disputatione sequenti. Atq; ita priuationem debiti ex affinitate consergentem, esse pœnam, docent Abb. c. 1. nu. 2. de eo qui cognouit consang. & ibi Alex. de Neuo. n. 2. Abulen. c. 5. Matr. q. 200. & 241. Turrec. c. qui dormierit, fin. 27. q. 2. Supplementum Gabriel. 4. d. 41. q. 1. art. 3. dubio. 1. a. d. 1. Caiet. in opus. to mo. 1. tract. 31. qui est 17. responsionũ, in 4. responsione, vers. & quoniam Angelus verb. incestus, nu. 4. Sylu. verb. luxuria. q. 4. dicto. 1. Victoria summa, de matrimon. n. 288. Sotus. 4. d. 3. 7. q. vniũ art. 2. versic. 2. conclusio, & vers. debet autem. Castro lib. 1. de lege pœnali. c. 7. §. ex hoc. 3. documento, & lib. 2. cap. 5. §. rursus. 5. argumento. Alexander Carrerius lib. 5. de Sponsal. cap. 23. Ledesma. 2. p. 4. q. 60. art. 4. §. sed est dubium si maritus. Gord. in sua quæst. lib. 1. quæst. 12. initio. Bartholomæus à Ledesma de mari. dubio. 50. conch. Matr. tomo summa. 2. editio. c. 243. n. 11. Grassi. p. 1. decisionum, lib. 2. c. 81. n. 4. Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. ar. 6. dubio. 4. §. in huius rei expositionem. Atq; idẽ diceret de priuatione ratione cognationis, in qua est eadem ratio. Atq; ita de illa idẽ assertit Sotus. 4. d. 3. 1. q. 1. ar. 1. concl. 3. Enriquez lib. 11. de matrim. c. 15. n. 11. Petrus de Ledesma de mari. q. 56. art. 1. dubio. 1. §. his

nihil obstantibus. Ludouicus Lop. 1. p. instr. c. 80. §. sed cõnumerare. Si ergo est pœna: minime incurritur absque iudicis sententiã: vt omnium pœnarũ id propriũ esse, communis Theologorũ restatur opinio, ac Iurisperitorum. Nec iuuat si dicas eum Caiet. 2. 1. q. 62. art. 3. quem cõmuniter Doctores sequuntur, id intelligi de pœnis postiuuis, quæ ad sui executionem aliqua actione indigent. Cum enim idem non debeat esse agens, & patiens, oportet actionem iudicis sententiam ferentis adesse, quò in illas incidatur. Quæ ratio cum esset in pœnis priuatiuis, quæ nullam actionem ad sui executionem desiderant, nulla opus erit ad eas incurrendas iudicis sententiã. Quæ ratione irregularitas, suspensio, excommunicatio, absq; iudicis sententiã contrahuntur. Sed hæc solutio non satisfaciunt, & bene impugnatur à Soto lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. concl. 2. & Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. 5. §. rursus. 5. argumento. Nam vt quis fame moriatur, nulla est necessaria actio, sed priuatio cõmestionis, est tamen iudicis sententiã necessaria. Præterea, inhabilitas ad beneficia, est pœna priuatiua, cum tamen probabilissimum sit eam indigere iudicis sententiã. Quòd defendunt Nau. in extrauag. Greg. XIII. de datis pro iustitiã, in priori editio. ne. n. 41. in posteriori verò, nu. 44. Molina tomo. 1. de iust. tract. 2. disp. 96. pagina 590. Deinde inhabilitas ad suffragium ferendum est etiam pœna priuatiua, nō indigens actione, sed cessatione: eam tamen iudicis sententiam postulet, vt restantur Sotus lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. ad. 4. & lib. 2. q. 6. ar. 3. ad fin. Ledesma. p. 4. q. 18. ar. 2. dubio vltimo. Molina ei disp. 99. pag. 591. Atque ita quauis priuari iurẽ petendi sit pœna priuatiua, non concluderetur eam nõ indigere iudicis sententiã. Nec etiam proderit ratio, quam tradit Sot. lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. concl. 2. cur irregularitas, excommunicatio, suspensio, & interdictũ, incurrantur absq; iudicis sententiã. Quia, nimirũ, nõ priuãt bonis proprijs, quæ iure

peculiaris quis possidet, & tradere per actionem teneatur, sed bonis communibus, quorum Ecclesia prius est dispensatrix. Non (inquam) prodest. Quia ea impugnatur a Corduba in suo quaest. lib. 1. q. 36. fol. 121. col. 1. Bañes. 2. 2. q. 12. artic. 10. fol. 69. Quia sacerdos ius peculiare celebrandi, & quilibet fidelis recipiendi sacramenta, possidet, & tamē illo priuatur per irregularitatem, & excommunicationem, absque iudicis sententia. Deinde, quia licet ea ratio procederet in ijs celsuris, at in nostro casu locum habere non potest, cum priuatur coniux iure per matrimonium acquisito petendi debitum, quod est bonum proprium, & peculiare illius, nec Ecclesie dispositioni subiacens, nisi in quantum illo priuare potest in penam delicti per coniuges admisi: sicut potest alijs bonis priuare. Delicti deribitur ergo iudicis sententia. Quare si maneat de iure catholicis, tit. 9. nu. 202. dicit incertum esse an incestuosus cum sanguineis vxoris incidat statim in foro conscientie in hanc penam.

Ceterum mihi certissimum est, nec in affinitate, nec in cognatione desiderari aliquam iudicis sententiam, sed statim priuari coniugem potestate debiti petendi. Quod in cognitione tenet gloss. c. nosse verb. non fraudatur. 30. q. 1. & in affinitate dicens esse certissimum, Castro lib. 2. del.

lege penali. c. 5. §. rursus. §. argumento, & clare sentit Cate. opus. tom. 1. tra. 21. qui est. 17. responsionum, respons. 4. vers. & quoniam, ubi ait esse ipso facto priuatum, & Angles florib. p. 1. de mari. q. 14. de impedi. affinitatis. ar. 1. diff. 1. concl. 3. ait enim in foro conscientie non posse petere hunc incestuosum, ante dispensationem. Idem tenetur dicere Doctores, quos retuli disp. 27. nu. 2. dicentes incestuosum etiam occultum incidere in hanc penam, & quos ibi retuli. n. 9. dicentes peccare lethaliter, si debitum petat, & praxis ipsa hoc verissimum esse testatur. Quod si rationem petas, fateor me nullam concludentem inuenire, ut hanc penam quamvis priuatiue sint, non indigeant sententia. Sicut nec inuenio in irregularitate, excommunicatione, suspensione, & interdicto. Quae enim ita di solent, reprobatae sunt, nu. precedenti. Atque ideo nec in illis, nec in hac, aliam rationem adequatam inuenio, qua quod penae priuatiue sint, atque ita facilis in eas incidatur: sicque vsu receptae, & declaratae sunt, ut nulla indigeant sententia condemnanti, aut crimen declaranti. Quod notata contingit in omnibus penis priuatiuis, & ita non mitum est, si aliqua illarum postulat iudicis sententiam.

Ad argumentum contrarium. n. 1. propositum, constat ex dictis. n. precedenti.

DISPUT. TRIGESIMAPRIMA.

Vtrum si affinitas vi praecisa, aut metu contracta sit, ut si vxor a viro confanguineo vi, aut metu cognoscatur, priuatur illa vxor potestate debiti petendi.

SVMARIVM.

Quando vi praecisa cognoscitur femina a viro confanguineo, non priuatur petitione debiti. n. 1. Priuatur si leui metu indulta. Quod si vir consenserit, neuter coniux potest petere, nec reddere. n. 2. Si metu constantis, refertur quae iam opinio, n. 3. Nequit tunc petere debiti. Et in rebus diuino iure reuocatis, metus non eximit a pena, n. 4. Quid si per metum viro constantis vir vxorem compulerit, ut cum ipsius viro confanguineo concubaret. n. 5.

An Christiani in nauibus Turcarum remigantes metu mortis, casu quo non eximuntur a peccato, eximantur ab excommunicatione. nu. 6. & ibi remissio, quando peccant.

**H**Aecenus disputauimus quando ex affinitate oriatur impedimentum petendi debiti. Ia videndum est de causis ab hac pena excusantibus. Et in hac disputatione, de praecipua vi, vel metu in sequenti autē, de ignorantia agem. Atque si vis praecisa sit, manifestum est minime priuari debiti exactione, vt cōstat ex c. discretionē, de eo qui cognoscitur, ubi eareddicit ratio. Quia affinitas

iniquē

iniquē contracta ei non officit coniugii, qui iniquitatis particeps minime fuit: inultum quippe est quenquam culpae immunē suo priuari iure. At ubi vis illata est feminae, a culpa incestus omnino eximitur: ergo & a pena priuationis debiti exigendi. Quare licet textus hic loquatur quādo viri cōsensu vis ea vxori illata est: & eodē pacto loquuntur hoc Doctores, Rosell. verb. impedi. men. imp. 8. nu. 15. Syl. verb. luxuria. q. 4. dict. 3. Graf. 1. p. decisio. lib. 2. c. 80. n. 14. at ratio textus, & praedictorum Doctorum tradita, idē prorsus suadet, ubi abfuit mariti consensus, vt bene aduertit Ricardus statim referendus. Quare ita docet absolute, Hostiensis. c. 1. de eo qui cogn. confas. nu. 2. sine. super verb. filiam, ubi Ioan. And. n. 3. Anchar. fin. Alexander de Neuo nu. 4. Ricardus. 4. d. 3. art. 2. q. 4. Astenfis summa. 2. p. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 15. Sotus 4. d. 37. quaest. vnic. ar. 2. vers. debet autem Ledesma. 2. p. 4. q. 60. ar. 4. Palacios. 4. d. 34. disp. 2. fol. 777. col. 2. vers. quod si obieceris. Enriquez lib. 12. de matrim. c. 2. nu. 2. Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. art. 6. diff. c. 5. concl. 1. E. maanuel Sa sum. verb. debiti coniugale, vers. qui coniugis.

Similiter est certum, vxorem leui metu incestui conuenientem priuari debiti exactione. Quia culpa sua affinitatem contracta. Ita colligitur ex ratione textus, & Doctorum, quos. n. precedenti retuli, & docet Ricardus, Astenfis, Rosella, Sylu. Graffius ibi citati, & licet loquantur, quando interfuit viri consensus, qui metum intulit: at verē non inimitur huic consensui, sed culpa vxoris, & ita absolute docet Palacios. n. precedenti relatus. Quod si mariti consensu, aut praeccepto id effectum sit, nō tenetur vxor ei debitum reddere. Quoniam eiusdem particeps fuit iniquitatis. Ita Ricardus, Astenfis, Rosell. Sylu. Graffius ibi dē. & constat ex dictis disp. 27. numer. 3. Imō nec potest reddere, nisi in fraudem matrimonij id vterque cōiux fecerit, vt diximus disp. 28. nu. 5. & 6. vbi probauimus in hoc casu fraudis reneri.

Difficultas autē est, quando metus grauis fuit, seu cadens in foeminam constantem, num priuatur vxor metu illo cognita a viro cōfanguineo, debiti petitione? Videtur enim non priuari: ex doctrina Nauar. summa. c. 27. num. 63. ad finem, & latius. c. ita quorundam, de iudicis, notab. 11. in principio, nu. 18. vbi docet Christianos in Turcarum triremibus remigantes

bello indicto aduersus Christianos, metu mortis, ac tormentorum coactos, peccare mortaliter, at non incurere excommunicationē eo. c. lata cōtra opē infidelibus in simili bello ferentes. Quia (inquit) non est credendum velle Ecclesia suis penis muldare, eos qui tali metu compulsi, suis praecceptis non obtemperant. Et illum sequitur Pedraza in sua summa, praeccepto. 7. §. 26. si milititer ergo, cū pena priuationis debiti exigendi, sit ab Ecclesia statuta ob crimen iniquae affinitatis contractae (vt diximus disp. praecedenti. n. 1.) non ligabit vxorem quae tanto coacta metu illum contraxit.

Ceterum quanuis haec opinio pietate plena sit, nulli solido fundamento innitur. Et ideo dicendum est priuari potestate debiti exigendi. Ducor ex ratione textus, & doctorum. n. 1. tradita, quae ab hac pena eximitur vxorem vi absoluta cognita, nēpe, quia cessat culpa incestus. Cū enim in hoc euentu non cesset, tenebatur enim vitam exponere ne cōsentiret, incurret penam. Secundo, qui in ijs quae aduersantur iuri diuino, & naturali, quale est copula illa, metus non excusat a pena, sed a grauiori, vt bene docet Turrec. per illud textu. c. final. nu. 2. 31. q. 2. & probat textus. c. si quis coactus. 27. q. 5. ibi, si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate perierit: quia plus corpus, quam animam dilexit, tres quadragesimas inquirat. Atque fortius id probat textus, cap. saceris, de his quae vi, ibi. Licet metus atremet culpa: quia tamen nō est prorsus excludit, cū pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurere, excommunicationis labe credimus inquirari. Vbi textus decidit, nō excusari ab excommunicatione, metu participantem cum excommunicatione, sicut non excusatur a culpa. In cuius textus intellectu quāuis varij sint Doctores, de qua participatione loquatur. Vt potest videri in Couar. Calma mater. 1. p. §. numer. 9. at casu quo ea participatio crimen lethale est, manifesta est decisio textus, & conueniunt omnes Doctores, metum non excusare ab excommunicatione, & quanuis aliqui velint eum intelligere de metu leui. Optime reprobat Abbas eo. c. saceris. n. 4. quia aperte repugnat litera. Cōtra ponit enim metum, violētiae: & dicit pro nullo metu. Et reddidit rationē, eodē metus nō excusat a culpa. Quae omnia de quocūque metu procedunt. Atque huius sententiae videtur esse Ricardus, Astenfis, Rosell. Syl. Graffius, quos nu. 1. retuli, dicunt enim

vxorem posse petere, quando maritus ea graui metu cogit ad copulam cum ipsius viri confanguineo: in odium delicti viri: vbi aperte sentiunt contrarium, vbi nulum esset viri delictum, atq; ita prædictū odium cessaret. Et tenet Petrus de Ledema de matrim. q. 5. ar. 6. dubio. 5.

Sed nec prædicta limitatio caret difficultate, aiūt enim Ricardus, & ipsum trāsribentes, Astenis, Rosel. Syl. Graf. n. præcedenti allegati, quando vxor metu ab ipso viro illato, & cadenti in virum constantem, coniuuere copulæ cum viro confanguineo, posse eam debitum potere, teneatq; virū reddere. Nec id alia ratione probat, quā in odium criminis viri. At oppositū credo, nepe, in eo euentu neutrum posse petere, nec reddere (vt dixi. n. 2.) quando metus est leuis. Quia cū vterq; particeps fuerit culpæ in affinitatis cōtractione, vterq; iure exigendi priuatur, & subinde neuter licite reddere potest (vt probauit locis eo. nu. 2. citatis) nec ius quod ab hac pena eximat vxorē, viri culpam considerat, nec in eius odium cōcessit non obtinēti affinitati, posse in hoc euentu petere: sed

vniversaleriter debiti petitionem negatū coniugi, cuius culpa affinitas orta est.

Ex his inferitur non audiendus esse Nauar. & Pedrazam. n. 3. relatos, dicentes, remigantes aduersus Christianos peccare mortaliter, at non innotari excommunicacione. Quia. n. 4. satis probati casu quo adio non eximitur à culpa, nec ab excommunicacione eā excusari: Atq; ita in hoc euentu censet Manuel in addit. ad bullā cruciatam. §. 9. numer. 95. sine. Ex alio autem capite excusari possunt ab excommunicacione: quia nimirum, communiter non peccant mortaliter remiges illi metu mortis id efficientes, vt latius probat Corduba summa. q. 137. folio. 400. Nauarra lib. 3. de restitucione. c. 4. dubio. 4. in noua editione, num. 52. Molina tomo. 1. de iust. disp. 115. pagina. 658. Ludouicus Lopez. 1. par. instrūct. cap. 60. sine. Rutilius Benzonius tra. de fuga, lib. 1. disput. 1. quæst. 4. folio. 102. §. allerit secundū. Vega. 1. tom. summa. c. 118. casu. 2. & specialiter est videndus Molina eo loco citato, qui optimē explicat casum rarum in quo culpa esset.

## DISPUT. TRIGESIMASECVNDA.

Vtrum cōiux, qui ex ignorantia iuris prohibentis, vel facti, efficitur cognatus, aut affinis alterius coniugis, priuatur debiti petitione?

### SVMMARIVM.

¶ **Q**uot sint quæstiones disputande. n. 1.  
¶ Quid intersit inter legem minime obligare ignorantes: vel hos à transgressione excusari. n. 2.  
¶ Lex obligat etiam ignorantes inuincibiliter ipsam. n. 3.  
¶ Minime præsumitur ignorantia, sed probanda est. n. 4.  
¶ Qualiter probetur, & an solo iuramento dicentis se ignorasse. n. 5.  
¶ Quoties lex puniat actum nullū alio iure prohibicum, ignorans ipsam, est pena immunis per legem statuta. n. 6.  
¶ Quid, si puniat actum iure humano antiquioris, aut diuino naturali prohibitum, an sciens antiquam prohibitionem, ignorans tamen nouam sub excommunicacione, illam incurvat contra sciens? Resertur duplex opinio. n. 7. & 8.  
¶ Proponitur authoris sententia, n. 9.

Soluntur argumenta priora. Enodantur. c. cū illorum, de sentent. excom. regula, ignorantia, de regulis iuris, in 6. quomodo ignorantia iuris non excuset, & l. vulgaris. ff. de furtis. n. 10.

Satisfit posterioribus argumentis, & enodatur. c. 2. de constit. in 6. & qualiter argumentum à contrario sensu desinat, vbi in contrario est eadem, aut maior ratio. n. 11. Post. n. 11. inuenies alia summaria.

¶ **Q**uestio hæc difficillima est, si exacte tractanda sit. Pendet enim ex ea quæstione, Qualiter ignorantia legis, aut pœnæ in ipsa statuta, excuset à pena incurrēda? Quæ cōfusè satis discutitur à Doctoribus. Cū enim sint diuersæ pœnæ, spirituales, & temporales, atq; inter illas sit differentia, quod sola excommunicacio videatur desiderare contumaciam; cū sit enā ignorantia du-

plex,

plex, altera iuris, & altera facti: & rursus illa, quæ tantipius iuris, & pœnæ in ipso contenta: alia verò solius pœnæ. Non satis distinguit inter has pœnæ, nec satis explicat, num loquantur de ignorantia ipsius iuris, vel solius pœnæ. Atq; ideò maioris claritatis gratia, distinguens pœnæ, ac ignorantiam ipsam, septē agitabo quæstiones: præmissis aliquibus fundamentis generalibus, quæ omnibus illis deseruiūt. Prima est, an ignorantia iuris excommunicacionem imponens, excuset ab illa contrahēda? Secunda, quid si ad sit scientia iuris prohibentis, at ignoretur excommunicacio in eo lata? Tertia, quid in alijs pœnis, an si ad sit ignorantia iuris, incurritur? Quarta, quid si in illis sola pœnæ ignorantia reperitur. Quinta, quid in quibuscunque pœnis, vbi sola ad sit facti ignorantia? Sexta, qualis debeat esse ignorantia, siue iuris, siue facti, vt à pœnis excuset? Septima, an vbi contracta est affinitas, aut cognatio, cum ignorantia iuris, vel facti, interdicatur coniugii contrahenti, petitiō debiti?

¶ Primum fundamentum sit. Differentia lata est inter hæc. Lex non obligat ignorantes. Vel illos obligat, excusatur tamen à peccato, & pœnæ. Quare non est quæstio de nomine, num obliget ignorantes. Si enim dicamus obligare, quamuis ignorans excusetur à culpa transgressions, & pœnæ: non excusabitur ab alijs legis effectibus. Quod secus dicendum est, vbi lex nõ obliget ignorantes. Nihil enim in illis operaretur, v.g. Decretum Tridentini obligat ignorantes, vbi legitime promulgatum est: ex quo fit vt contrahentes clam matrimonium in eo oppido, ignari inuincibiliter decreti, minime peccet, nec subdantur illius pœnis: at matrimonium eo decreto irritatum, erit nullum. At vbi id decretum non obligat, matrimonium est validum: & tale esset, si diceremus illud non obligare ignorantes.

¶ Secundum sit. Certum est legem vbi sufficienter promulgata est, ita vt scientes liget, obligare etiam inuincibiliter ignorantes. Quoniam lex talis habet iam completam legis rationem, ac subinde perfectam obligandi vim. Nec enim vniciq; est notificanda. c. 1. de postu. prelat. & authent. vt nouæ factæ constit. §. sancimus, collat. §. obligat ergo omnes, siue illius cōscios, siue ignoros. Et confirmatur, quia virtus obligandi ex ipsa legis natura, & virtute,

non ex subditi noticia proficiscitur. Talem, quia ignarus legis illius sufficienter promulgata, si certior de illa fiat à viro si de digno, ad illam tenebitur. Ergo & antea tenebatur. Nō enim vir ille sua assueuratione legi virtutem obligandi tribuit. Ita Sotus lib. 1. de iust. q. 1. art. 4. concl. 3. Metius. 1. 2. q. 90. ar. 4. concl. 3. ver. illud autem. Quare dum Inoc. c. 2. de constit. n. 1. vers. ignorantes, & aliqui iurisperiti ibi, assueuerant, ignorantes minime obligari lege: Quod etiam videtur sentire Caic. 1. 2. q. 90. art. 4. ad. 2. intelligē de sunt, vt velint ignorantes excusari à pœnæ, & culpa transgressions legis.

¶ In foro autem externo, duobus mensuris à legis promulgatione transactis, iure optimo præsumitur illius scientia: vnde ignorantiam alleganti incumbit onus probandi, vt notant communiter Doctores, & constat ex auth. vt factæ nouæ constit. §. sancimus, & §. ne igitur, collat. §. & c. 1. de postul. prelat. & c. fin. §. alioquin, qui matrimonium accusare possunt. Atq; idē est, licet non sit promulgata in qualibet prouincia, est tamen in ea vsu recepta, & in curia promulgata. Constat ex c. 1. §. veram, de postul. prelat. Rationem autem huius præsumptionis subdant glos. l. fin. verb. scientes. ff. de decretis ab ordine faciendis, & glo. c. nulli, verb. verisimiliter, de elect. in 6. Quia publicè propositum ignorare non licet, nec facile ignorantiam talem alleganti fides adhibenda est.

¶ Admittitur autem probatio ignorantie huius, glo. c. 2. de constit. in 6. notabil. 1. Abbas. c. 2. n. 9. eodem tit. vbi Felinus. n. 10. Syl. verb. lex. q. 7. coniecturæ; quæ hanc ignorantiam probant, proponunt vt c. fin. §. super quo, qui matrim. accus. pos. Coniecturis enim probanda est, vt notat Baldus. l. 1. nu. 10. ff. de legibus, faciliusq; in feminis probatur: teste Præposito. c. quod dicitis. d. 16. eò quod illis vagari non liceat. Et quidem in genere loquēdo, probatur iuramento ipsius se ignorasse dicentis. Quia in cordis penetratibus latentia, minime testibus probari possunt. Ita glos. c. si verò, el. 2. de sent. excom. verb. propria. Castro lib. 2. de lege pœnali. c. 14. §. sicut dictum est. Nau. lib. 1. conf. in priori editione, tit. de constit. conf. 1. nu. 6. & 7. Couar. 2. varia. c. 10. n. 1. vers. 3. admittenda est. Gregor. Lopez. l. 12. tit. 1. p. 7. verb. que lo non supiera, & colligitur ex illa lege. Auiles. c. 52. prætorum, gl. en la tierra

nu.